



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Confessariorum Bonitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

iectas resolvere, meminerint adire doctiores, & in talibus melius versatos. Sciant aut nos in hunc finem dedisse speciatim eas partes Pœnitentiariorum maiori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, & cum Theologis, & Iuris Canonici peritis, si quæ dubia, & controuersia circa res conscientia in hac nostra diœcesi obueniant, & de ijs conferat, & diligenter discutiat, ut postquam res grauioribus nobis communicarit, omnem dubitationem eximat ijs, qui ad ipsum consulendi causa accedent.

Examinent præterea vires ingenij, & scientiam, quam habent, nec se temere ad confessiones audiendas eorum ingerant, quos censuris ita quibusdam inuolutos esse suspicentur, ut se se inde satis explicare nesciant.

Bonam habeant notitiam censurarum, & Casuum reseruatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ; similiter Canones Pœnitentiariorum, & nostras has admonitiones sæpius legant.

Confessariorum Bonitas.

Cum dubium non sit, quin is qui peccato mortali infectus, Sacramentum quoduis administrat, nouo se scelere rursus obstringat; diligenter obseruent, qui Confessarij partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multò verò minus id audiant, si qua censura teneantur Ecclesiastica ligati.

Qui verò feruidi animi Confessarius est, animarumque salutis studio tenetur, ut eas ad virtutes inducat, diuinisque remedijs adiuuet, quibus contra peccata vel pœnitens utatur, vel ab

ijdem

si idem abstrahatur, qui doceat itidem dæmonis astutias perspectas habere, qui demum pœnitentem exuere veterem hominem, & nouum induere labore, ac confingere in eo formam aliquam speciemque perfecti Christiani, non satis id sibi habere debet, si nulli peccato mortali obnoxius Sacramentum Pœnitentiæ ministret, sed cum facillè cognoscat magnoperè referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt, prius in seipso exprimere, quæ in altero videre desiderat (quãdoquidem plus exempla, quàm verba commouent animos, neque quis aliorum animis ingenerare virtutem potest, quam ante non in se possideat) idcirco perfectionis suæ totus amore ferueat, necesse est, atq; in ijs virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipsa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares, cum ad confessiones audiendas emittuntur, solum examinari solent siotne sufficientes, & doctrinam iustam habeant, neque nos aliter perspectos mores eorum, & bonitatem vitæ probatam tenere possumus, ideo Superiorum eorum conscientias operamus, vt ad huiusmodi prouinciam non alios nobis in publicum deducant, quàm qui probitate, atq; integritate vitæ tales sint, qui laudabiliter hoc Sacramentum exhibere queant, cuius quidem rei scripto nobis fidem dabunt, nec aliter eos admittemus.

Confessarij diligentia.

Prompto, ac parato animo ad confessiones audiendas accedant, euitentque diligenter, non solum ad subterfugiendum laborè, ne submo-